



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Epitome Instituti Societatis Jesu**

**Sesti, Curtius**

**Bruxellis, 1690**

Cap. III. De Personis sustentandis in Collegiis, juxta varias Collegiorum  
formas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)


## CAPUT III.

De Personis sustentandis in Collegiis juxta variis Collegiorum formas.

## SECTIO I.

*Forma Collegiorum primò intentæ.*

*Collegia pro  
Scholasticis.*

I.  Xpositis, quæ ad materialia quodammodo Collegiorum pertinent tum fabricæ, tum reddituum, explicandum occurrit ipsum formale; quod comprehendit Personas, quas in eis sustentari convenit. Igitur (ut supra Cap. I. Sect. I. indicabatur, Collegia primò assumuntur ad Scholasticorum Approbatorum Institutionem in perfectione vitæ, & literis; quas extra Collegia nostra addiscant in Universitatibus; quando illæ Societatis curæ non sunt commissæ. Ceterùm Scholasticos eos esse oporteret, qui bonorum morum, & ingeniorum indole spem facerent, quod in probos simul, ac doctos viros essent evasuri. Hi autem, quo magis ingeniosi, bonisque moribus ornati, ac sani corpore, ad ferendos Studiorum labores fuerint, eò magis idonei, & citiùs ad Collegia mitti, vel

vel in eisdem admitti possunt. <sup>a</sup> Et in hac quidem Collegiorum forma pauci admodum, præter Scholasticos, reliqui sunt: adduntur enim Coadjutores aliqui, & hi quatenus ad ministeria sunt necessarii: non exclusis Sacerdotibus, qui Collegium juvare in spiritu, & ei præesse possint. <sup>b</sup>

A. & c. 3. §. 1.  
2. & P. 10. §. 4.  
P. 4. c. 2. F. &  
c. 3. §. 2. & c. 5.  
D. & c. 10. §. 6.  
7 & post. Dec.  
C. 2. in form.  
P. Laynez §.  
penultim.

2. Immo cum Collegia etiam externos in literis, & spiritu juvare possint; ut infra dicitur: consentaneum est Instituto Professos & Coadjutores formatos posse sustentari in iis Collegiis, ubi operarii necessarii, aut utiles sunt: neque hoc est Societatem Professam ex Collegiorum redditibus juvari. Cavendum tamen, ne extra casus prædictos, & quasi in fraudem, ibi alantur. <sup>c</sup> Quamquam si senio confecti, aut infirmitate gravati, nec ad operandum in vinea Domini idonei fuerint; absque aliquo conscientiae scrupulo, de licentia Præpositi Generalis, possunt Collegiorum proventibus sustentari. <sup>d</sup> Vide infra, ubi de paupertate Professorum. Part. 3. Cap. 3. Sect. 1. §. 5.

Professi & Coadjutores aliqui admittuntur.

C. 6. D. 18.

Jul. III. p. 77.

3. Ceterum Scholasticorum Institutio ad eò per se consideratur in Collegiis; ut, si non suppeteret justus numerus eorum, qui per propositum Deo in Societate serviendi se dedicaverunt; non repugnet Instituto,

Et in supplementum Scholastici externi.

tuto,

tuto, ex licentia Præpositi Generalis, & ad tempus, quod ei videbitur, alios pauperes Scholasticos, qui tale propositum non habeant, admittere; dum tamen ea præ se ferant Dei dona, quæ spem faciant ipsos aliquando in Societatem admitti posse. Quin aliquando admitti etiam possent filii divitum, aut nobilium, modò suis vivant sumptibus, & iisdem donis sint præditi. Horum autem forma vivendi, quoad pietatem, & studia attinet, eadem esse debet, quæ nostrorum Scholasticorum, non autem ratio Vestitus, & Habitatio. Quæ distinctio multo magis servanda est, si quando pacta inita cum Fundatoribus, vel aliqua alia rara, & non levis momenti causa exigat, ut admittatur in Collegia nonnemo, qui propositum ingrediendi Societatem non habeat, etsi suppetat copia Nostrorum.

¶ P. 4. c. 3. B. &  
c. 9. A. & C. 1.  
D. 126.

*Quo pacto in-  
ducta Collegia  
sine Scholasticis.*

4. Sed cum experientia docuisset, Collegia primario expetita ad Scholarum pro Externis utilitatem, non instrui redivitibus ad Scholasticorum nostrorum sustentationem; quare multiplicata passim esse Collegia, ubi Studentium nostrorum Seminaria actu non existerent; dubitatum aliquando fuit, an licite retineri possent? Et re diligenter examinata, statutum est; nullum

uallum subesse scrupulum: cum perpetua  
 praxis ab ipso S. Fundatoris tempore, quæ  
 est optima legum interpret, securos nos  
 reddere possit. Et nihilominus ad omnes  
 difficultates tollendas, juxta privilegia,  
 quæ habet Societas, dubia in suo Instituto  
 declarandi, declaratum est; etiam Colle-  
 gia, quæ non sunt Seminaria Nostrorum,  
 sed scholæ tantum in proximorum utilita-  
 tem, esse consentanea Instituto. *f* Quia *f* C. 6. D. 18.  
 tamen curandum erat omnino, ut Colle-  
 gia inchoata perficerentur; quò vel nostri  
 Scholastici aliquot ibi ali, vel ex eorum  
 contributione in aliquibus Seminariis su-  
 stentari possent: *g* visa est Societas suspen- *g* C. 6. D. 18.  
 disse hanc obligationem; dum maluit no-  
 stros Scholasticos in majoribus Collegiis,  
 quàm in minoribus institui, eo quod in  
 illis commodius & utiliùs instituerentur. *h* C. 8. D. 27.

S E C T I O II.

*Collegiorum forma secunda complectens  
 Scholas publicas.*

1. **F**orma Collegiorum in Constitutio-  
 nibus altera designatur: quæ, præ-  
 ter profectum in literis nostrorum Scho-  
 lasticorum, intendit etiam profectum in  
 H literis

*Altera Collegio-  
 rum forma ex  
 Constitutionibus*

literis, & moribus Externorum; ad quem finem aperiuntur Scholæ publicæ. Et hoc quidem dupliciter præstari potest. 1. Ut in minoribus hujus generis Collegiis literæ Humaniores, ac linguarum, & Doctrina Christiana, & si opus esset, lectio aliqua de Casibus conscientiæ prælegatur; si verò sit, qui commodè concionetur, aut confessiones audiat, id etiam ut fiat; sed de scientiis superioribus non agatur. 2. Ut in majoribus hujus generis Collegiis eadem caritatis ratio, quæ publicas Scholas, ad Externorum potissimum ædificationem, suadet, extendi etiam possit ad Universitatum curam suscipiendam; ubi non literæ modò Humaniores, sed etiam scientiæ naturales, quatenus hæ disponunt ad Theologiam, & hanc tum Scholasticam, tum Positivam, tradantur. Et de his distinctius infra Part. 5. c. 4.

2. Sed hæc, quæ à S. Fundatore in Constitutionibus tradita sunt, pluries postmodum, & enucleatius in Congregationibus Generalibus explicata. Nam in Congregatione prima confirmatum est Statutum S. Fundatoris; ut per decem annos, à M. D. LIII. numerandos, nullum Collegium admitteretur; ubi non possent saltem quatuordecim ex Nostris sustentari:

tum

i. P. 4. c. 7. A.  
& B.

l. P. 4. c. 11.  
12. & c.

Ex S. Ignatio  
in Congregatione  
no 1.

cum experientia docuiffet infra hunc numerum, neque fufficienter Externis confuli poffe; neque aliquod emolumentum percipi in alendis aliquot noftris Scholasticis. *m*

*m* C. 1. D. 73.

3. P. Laynez formulam tradidit pro variis Collegiorum modis, & Perfonarum numero. Nam 1. in Collegio, ubi tres ponuntur Præceptores literarum Humaniorum, quartus etiam effe debet, qui illis fubftitui poffit, & tres Sacerdotes; in quibus unus Rector fit, reliqui duo utilitati ferviant animarum. Ubi verò tales feptem Operarii fint; convenit totidem faltem ibi Scholares alere; ut illud perpetuum opus effe queat, fuccedentibus his in Sacerdotum ac Præceptorum locum; ubi non poffent morte, aut aliis de caufis officio fuo fungi. Effet etiam, præter hos, neceffarius Minifter unus, cum Coadjutoribus quinque. Minimum itaque Collegium viginti conftabit ex noftris; ultra quos providendum erit, unde alatur Corrector, qui de Societate non fit.

*Ex P. Laynez  
in Congreg. 2.*

2. Si Collegium quinque Præceptores habeat ad Humanas literas, Græcam, & Rhetoricam profitendam; fubftitutos alios duos habeat neceffe effet, nec non quatuor, aut quinque Sacerdotes; ut, præter fupradictos

H 2

dictos

dictos quinque Præceptores, eorum unus lectionem Casuum conscientiarum possit profiteri. Ubi verò is numerus Operariorum conceditur; ad operis perpetuitatem, totidem saltem Scholastici instituendi erunt; adjunctoque Ministro, cum sex Coadjutoribus, minimus numerus complebit triginta, extra Correctorem, in similibus Collegiis.

3. Si Collegium, præter supradicta, Artium liberalium cursus volet suscipere; ultra illum numerum Nostrorum, viginti addendi erunt, partim Præceptores, partim Discipuli; ita ut omnes simul conficiant numerum quinquagenarium.

4. Si Societas alicujus Universitatis, aut Generalis studii curam susceptura esset, adjungeretque supradictis Scholasticam Theologiam, & Sacram Scripturam; hujusmodi onus admittere non debet; nisi commodè provideatur, unde septuaginta, aut iis plures Collegæ possint ali. Et expediret, ut hic numerus adhuc augetur; quò non tantùm opus hujusmodi perpetuò duraret; verùm etiam ex eo Collegio insignes aliqui Operarii possent excerpti ad commune bonum in his, & illis locis promovendum. 7

7 Form. post  
Decr. C. 2.

Et P. Claudio  
in Con. 5.

4. P. Claudius formulam confecit accep-



ceptandorum Collegiorum paulò diversam; quam approbavit Con. 5. & sic habet. Deinceps nullum Collegium admittatur, in quo literæ Humaniores doceantur; nisi ea fundatione dotatum sit, ut saltem triginta ex nostris in eo ali possint. Quod si præterea tres Philosophiæ cursus addi Fundatores velint; ejusmodi sit, ut ex propriis redditibus saltem sexaginta ex Nostriis sustentari queant. Ubi verò Societas alicujus Universitatis, aut Generalis studii curam susciperet; ac suprædictis Scholasticam Theologiam, & Sacram Scripturam adjungeret; ita commodè prospectum esse debet; ut minimum centum è Nostriis nutrire valeat. Excipiuntur autem Indicæ & Transalpinæ regiones; de quibus nihil adhuc certi præscribi è re visum fuit. o C. 5. D. 25. & 69. & Ord. c. 16.

5. Cæterum, ad removendam Nostriis offensivam, siquando in acceptandis Collegiis formula proximè adducta, ut neque antea, ita deinceps non observetur, pro hac saltem conditione temporum statutum est, ut sequitur. Ex P. Carafa in Congreg. 8.

Quandoquidem Collegia minora, ex formula in 5. Con. decreta, subductis Scholaribus, qui ex Formula 2. Con. in eisdem institui jubeantur, ut Præcepto-

H 3 ribus,

ribus, & Operariis succedere possent ad Operis perpetuitatem, non plures ferè alere posse oportebat, quam viginti: jamque singulæ Provinciæ habent majora Collegia, in quorum Seminariis earumdem Scholares simul commodiùs, & utiliùs instituuntur; visum est Congregationi; non fore contra veteta decreta, neque contra bonum commune, si deinceps admittantur aliqua Collegia, in quibus viginti saltem Socii degere, ac sustentari possint. Excipiuntur Indicæ & Transalpinae regiones, de quibus nihil adhuc præ-

scribendum videtur. p

#### C A P U T I V.

*De Scholasticorum Spiritu in Collegiis conservando, atque augendo.*

*Quantum intersit Scholasticorum bona educatio.*



Bona Scholasticorum Societatis educatio magni momenti semper visa est; cum ex iis postea tum Professi, tum etiam Operarii fiant. Designandi sunt igitur illis, non solum ij Superiores, qui eos in via Domini, & religiosa perfectione probè instruant; sed boni etiam Confessarii & Præfecti rerum spiritualium, qui suo munere